

- C Vini constat honor in odore, colore, sapore:
 Nare probatur odor, visu color, et sapor ore.
- C Christus, caupo, sathan, mundus sua vina propinant:
 Optima sunt Christi vina, venena trium.
- C Vinum subtile creat in sene cor iuvenile,
 Econtra vile reddit iuvenile senile.
- C Cur homo, qui cinis es, per avariciam sepelis es?
 4 Verse; etwas abweichend vom Text bei Werner,
 Beiträge 196.
- C Fili! quid mater? Vgl. ebenda 200.
- C Ieiunat iustus, medicus, simulator, avarus
 Spiritui, carni, fame, studio retinendi:
 Deliciis epulo, primi ieiunia laudo.
- L. 24^v II. C Femina corpus, opes, animam, vim, lumina, vocem
 Polluit, adnihilat, necat, eripit, orbat, acerbatur.
- C Scisne pigri morem? si mane vocetur, obaudit;
 Si citetur adhuc iterata voce sonora,
 Nare vigil stertit; tandem clamore coactus
 Ore tamen lentus linguam movet et: 'Mihi quid vis?'
- 5 Inquit. 'Surge cito!' 'Nox est; permitte quiescam'.
 'Immo dies est; surge!' 'Deus meus, ecce ego surgo'.
 'Vadel' 'sequor'. Nec eum sequitur. 'Quem decipis? et tu
 Non venies'. 'Dudum venissem, sed mihi vestes
 Quero, nec invenio'. 'Nihil est; te, Birria, novi'.
- 10 'Surge cito!' 'Domine, sum presto'. Nec tamen, immo
 Vel caput huc¹ illuc vertit, vel brachia scalpit,
 Membra vel in longum distendit; sic quasi quasdam
 Undelibet morulas querit. Semper venit ore,
 Non pede: sic veniens verbis nunquam venit ipse.
- 15 Forte movens gressum trahit a testudine motum.
 Huius imago sumus ad gaudia vera vocati:
 Deliciis variis capti vel pectoris aures
 Obstruimus, vel, si patet auris, ad illa venire
 Semper differimus, vel, si fortasse venimus,
- 20 Nolentes tracti motu testudinis imus.
- C Dic ubi tunc esset, dum preter eum nihil esset;
 Tunc ubi nunc in se, quoniam sibi sufficit ipse.
- C Ultra posse meum lex me nihil ulla coegit,
 Nec reor esse reum, qui totum posse peregit.

Mit C 'Cessa! condono; pugna iuvo, vince! coronos.'
 schliesst die Seite; ein späterer Schreiber machte darunter
 einen Abschlusstrich.

1) 'h' = 'hic' Hs.